



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Joannis Nadasi, è Societate Jesu, Annus Caelestis,
Jesu Regi, & Mariae Reginae, Sanctorum Omnium Sacer**

Anni Caelestis Dies, & Festa Mobilia

Nádasi, János

Coloniae Ubiorum, 1667

28 Feb. prid. Kal. Mart.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53527](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53527)

28 Feb. prid. Kal. Mart.

SS. Lupicine, & Romane, qui mortuis (qui vos ad nuptias urgebant) parentibus, in eremum abiistis, dæmonum victores tyrones. S. Lupicine, cui defossas humi opes, ad usum sanctum, ostendit Deus: S. Romane, qui duodecim à religione transfugas precibus vocâsti; & dum leproforum pedes lavares, eos persanâsti. Orate pro me, ut à Deo meo, per nullum peccatum, sim transfuga: ut nunc, & maximè in morte, impugnantem me dæmonem semper vincam, semper pro victoriâ Deo meo gratias immortales acturus. Amen.

Sancti Macari, Rufine, Juste, & Theophile, MM.

Sancti Cærealis, Pupule, Cai, & Serapion, MM.

Sancti Alexandrini Presbyteri, Diaconi, & alii plurimi, qui, cum pestis sævissima grassaretur, morbo laborantibus ministrantes, libentissimè mortem oppetiistis; quos, velut Martyres, religiosa piorum fides venerari consuevit.

S. Augustine Episc.

S. Osvalde Episc. quem dæ-

mon, nec vocibus bestiarum, nec Angeli specie, decipere potuit: cuius sanctitatem Fudbertus Abbas, à mortuis resurgens, testatus est; & post horas aliquot, iterum migravit è vitâ: cui anima Religiosi cuiusdam gratias egit, quòd precibus tuis è purgatorio ad requiem evolare: cui sacrificium incruentum celebranti Angelus ministravit: qui, inter lavandum pauperum pedes, mortuus; & columbâ, spherâque igneâ comitantibus, sepulchro illatus es: cuius feretrum, per urbem circumlatum, pestem fugavit. Doce me talem vitam ducere, qualem laudarent Sancti, si è cælo huc redirent, ac à me, de me, interrogarentur.

OMNES SANCTI, &c.
pag. 44.

S. MARIA, ad quam salutandam populum invitante hodierno cliente tuo, sex mensium infans, Ave MARIA distinctè recitavit. Fac me vincere humanos respectus, ac te ita, ut decet, salutare!

29 Febr. vel, pro die bissextili.

I. **S.** MARIA, & omnes Sancti,
Beatissimæ Virgini, olim
in